



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

Præfatio Ad Historiam Pelagianam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

PRÆFATIO

Ad Historiam Pelagianam.



Augustinum Parentem sanctissimum, eundemque doctissimum ad debellanda hæresum monstra in Catholica Ecclesiâ subsidium veluti è cælo demissum, illos solùm ignorare arbitror, quibus ignorare contigerit Augustinum: illum dico Augustinum, qui ingenii vi, ac magnitudine ita cæteris mortalibus præstitit, ut nihil penè sibi ad expugnandum proposuerit, quod validissimarum rationum acumine non irruerit, aut sacrarum literarum pondere non eliserit. Sciunt hoc Ariani, sciunt Manichæi, sciunt Donatistæ, cæterique impostores, quorum ille deliramenta tot libris, veluti fulminibus ita disjecit, ut quot Ecclesiâ habuit hostes, tot unus Augustinus triumphos erexerit. Sed præter cæteros hoc probè sciunt Pelagiani, quorum nefaria dogmata per quatuor ferè lustra exagitavit, ac toto terrarum Orbe luculentissimis scriptis insectatus est. Porro res à strenuissimo bellatore adversus sectariorum colluviem gestas enarrare, haud mihi consilium est; etenim id antè nos præclari scriptores, quorum omnium studia Joannes Rivius vicit, tantâ industriâ executi sunt, ut id iterùm tentantes actum agere planè videri possint. Cæterùm cum Augustiniana volumina adversus Pelagianos edita à quorundam novorum scriptorum censuris vindicare in animum induxerim, facturum me operæ prætium duxi, si rerum Pelagianarum historiam præmitterem, paucisque exponerem, quâ occasione, quoque tempore libros illos cedro dignos contra superbissimos hostes magnus Doctor emiseric, itemque qualis, quantave sit in universis de divinâ gratiâ controversiis ejusdem Sanctissimi Præsulis ex unanimi Summorum Pontificum, Synodorum, ac Patrum approbatione auctoritas, antequam eidem quantulamcunque adversus nuperos censeses advocacionem commodarem. Hoc verò satis pro dignitate me præstiturum arbitror, ubi palam fecero, unum Augustinum in Pelagiano bello fuisse, qui totius Catholicæ Ecclesiæ causâ in se susceptâ, cæteris ferè domi quiescentibus, undeviginti annos in acie steterit, invictâque dexterâ victrices lauros præciderit, quibus Romanorum Pontificum tiaras redi-

miret. Sanè nihil ad S. Doctoris commendationem illustrius afferri potest, quàm de Pelagianâ ipsum hæresi triumphasse. Ariana quidem hæresis Imperatorum armis suffulta, atque Ariminensis Synodi trecentorum, & triginta Episcoporum auctoritate instructa, Catholicam fidem toto penè Orbe exegit, sed instar flammæ defunctis Constantio, ac Valente Augustis, qui eandem impensius fovebant, subtracto veluti pabulo in cineres ferè ac favillas desit. Donatistarum secta in Bagajensi conventu trecentorum, & decem Anrithurum suffragiis munita fuit, sed inter Africâna claustra una cum cæteris monstis illa desavit. At hæresis Pelagiana universum, quâ latè patet, Orbem pervagata, non modo sacras Synodos in Africâ, Asiâ, ac tot Romanos Pontifices in Europâ exercuit, verùm etiam ad hæc usque tempora Rempublicam Christianam longis, ac perpetuis (quod pessimum procul omen Numina avertant) dissidiis implicuit. Quas enim turbas post Augustini excessum Pelagianorum reliquiæ in Gallis non dedere? Nono sæculo in Gotteschalei Monachi causâ ob exorta de divinæ gratiæ auxiliis litigia docti quique Galliarum Episcopi adversis scriptis, ac Synodis sese invicem insectati sunt. Majorum ætate religiosorum hominum familiæ in eadem causâ acerrimis disputationibus secum invicem veluti in arenâ concurrerunt, & quanquam indictis Summorum Pontificum jussu post diuturnum bellum induciis tantisper conquiescere visi sunt, sibi tamen temperare non potuerunt, quin crebris velitationibus, quasi aliud agentes ad veteres scholarum contentiones relaberentur. Sed neque apud hostes pax fuit, Arminianorum, ac Gommaristarum factionibus in Bataviâ exortis, quæ abjectis libris, ac calamis, armisque correptis è scholâ in aciem erumpentes, tantâ animorum contentione, ac rabie decertarunt, ut desectis Pelagianæ Hydræ capitibus, Arminiano sanguine diris Calvinii manibus parentatum sit. Postremò paucis abhinc annis Cornelius Jansenius ex Lovaniensi Doctore Ipresium Episcopus in nova certamina Scholasticos (ita enim Theologiæ consultos vulgus nominat) provocavit, contestatus S. Augustinum sub induciarum prætextu proditum,

Apud Aug. lib. 1. contra Max.

Lib. de hæresib. cap. 69.

lum, atque occultè à quibusdam Pelagianis
divenditum, dum illarum sententiarum Ma-
gister passim in illorum scholis publicabatur,
quas uti Pelagianæ hærescos paradoxa con-
stanter æquè ac feliciter expugnasset. Quam
calumniam ii, qui eadem suprâ cæteros se
gravari sentiebant, procul à se excutere per-
tentantes, omni conatu in id incubuerunt,
ut oppugnatas ab adversario sententias con-
farcinatis hinc inde Augustini testimoniis suf-
fulcirent, quod cum obcecato potius par-
tium, quàm Augustinianæ doctrinæ studio
factum sit, eximii Doctoris auctoritas ab
utraque factione in apertum discrimen voca-
ta est. Illi enim nescio quæ absurda opinio-
num portentia non semel ab Apostolicâ Sede
damnata, Augustino per summam injuriam
imposuere. Hi verò cum in plerisque, ne
quidem Syracusani senis machinis admotis,
in suam ipsorum sententiam Augustinum trahi
posse intelligerent, in id consilii descende-
runt, ut S. Doctoris auctoritatem in iis, quæ
contrâ Pelagianos scripsit, quoquo modo ele-
verent, ac variis ejusdem doctrinam censuris
inveterandè perstringerent. A priorum quid-
em imposturis S. Doctorem solidè vindican-
dum suscepit Pater Michael Hekius Doctor
Duacensis, ac in Romanâ Academiâ sacrarum
literarum Interpres, vir doctissimus, & in Au-
gustini libris summâ cum laude versatus: qui
nuper à Summo Pontifice pro Augustinianis
Superioris, & Inferioris Germaniæ Provinciis
Assistens designatus fuit. Posteriorum verò
conatus rejicere mihi decretum est, undè to-
tius Pelagianæ causæ retractandæ necessitatem
mihi pariter impositam nullus, ut puto, infi-
cias ibit. Nemo tamen mihi audaciæ verat,
quod post Baronium, Rivium, Vossium, La-
tium, Usserium, qui de rebus Pelagianis com-
mentaria singulari diligentia conscripta poste-
riorum memoriæ consignarunt, eandem & ip-
se Spartam aggredior illius fortè dicti imme-
mor, *In sylvam ne ligna feras*. Illorum quid-
eruditionem, raramque eâ in causâ gestorum
peritiam non modo laudare, sed ne admira-
ri quid-
em pro dignitate possumus. At seduli
isti messorum eo in campo plerasque, quas
colligeremus, spicas reliquerunt, uti nos quo-
que *ne dubitamus*, uti olim ad Vespasianum
conterraneus meus Plinius præfabatur, *mul-
ta esse, quæ & nos præterierint, homines enim su-
mus, & occupati officis, subsæcivisque temporibus
ista curamus*. Plures namque horas Schola-
sticæ Theologiæ, cui uni explicandæ Major-
um imperio vacabamus, suffurati sumus,

quò Pelagianarum rerum notitiam exactio-
rem nancisceremur; an verò id ex voto asse-
cuti simus, aliorum judicium esto, certè eni-
xi sumus. Gerardus Joannes Vossius, quò
exortas apud suos Batavos de divinâ gratiâ,
ac libero arbitrio controversias componeret,
hinc Pelagianorum errores, illinc adversa
Patrum dogmata exhibuit, ut vetustioris Ec-
clesiæ sensum litigantibus aperiret. Eadem
mente, ac methodo Joannes Latus Pelagia-
nam historiam composuit. Insudavit, &
quid-
em pleno viginti annorum spatio in eo-
dem campo Jansenius: at ille cum alieniori
erga recentes quosdam Theologos animo ef-
feret, eo consilio Pelagianos cineres ventila-
se visus est, quò eisdem illos, quibus infen-
sus erat, per summam injuriam aspergeret.
Horum vestigiis in hoc opere minime infisto,
plenum enim invidiâ, ac periculis argumen-
tum est, doctis quibusque in factiones divi-
fis, quibus ex æquo grata scribere nemo pos-
sit. Pelagianam historiam Ecclesiasticis an-
nalibus magnus Baronius inseruit, cujus studia
æmulati sunt Jacobus Usserius vir Heterodo-
xus in commentariis de antiquitate Ecclesia-
rum Britannicarum, & noster Rivius Belga li-
bro tertio, & quarto de Vita S. Augustini,
Quibus sanè scriptoribus cura fuit, Pelagia-
norum natales, progressum, exitumque enar-
rare, non verò eorundem dogmata, opposi-
tasque Patrum sententias ad verbum diffusis
recensere, easque subtilioribus subindè con-
siderationibus subicere. Eâdem cum istis
viâ pergere mihi decretum est, & historici,
non Theologi munere persungi; hoc namque
unico consilio idem argumentum retracto, ut
pateat, sub unius Augustini auspiciis Eccle-
siam Catholicam de Pelagianis ubique feliciter
triumphasse, & *ut facile*, verba S. Prosperi
sunt adversus veteres Augustini hostes, *vel* In resp.
tenuis diligentia advertat inspektor, quàm injustis
ad cap. Gallos.
*opprobriis Catholici Prædicatoris memoria carpa-
tur, & in quod peccatum cadant, qui alienâ instiga-
tione commoti scriptorem celeberrimi nominis prom-
ptius habeant culpâre, quàm nosse*. In quo ope-
re in plerisque Cardinalis Baronii sententia
minùs mihi probantur, non quòd viro erudi-
tissimo, quem in Ecclesiasticâ historiâ Princi-
pem & fateor, & veneror, parùm deferendum
putem, sed quòd is Veritati cultus debetur,
ut nemo illi in amore præferendus sit. Quæ
præfari libuit, *ne incidamus*, ut Augustini ver-
bis concludam, *in suspicionem puerilis jactan-
tiæ, quasi nostro nomini famam viros illustres ac-
cusando quaramus*.